



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

Art. I. Carentes Fide Christianâ Diuinâ, cærent Ædificij spiritualis Virtutum
Diuiinarum in Anima suâ Fundamento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

SERMO VI.
CONSECTARIA

Doctrinæ de Fide, quatenus est Fundamentum
Ædificii Spiritualis.

ARTICULUS I.

*Carentes Fide divinâ carent Ædificij Virtutum divinarum
in anima sua Fundamento.*



UM nulla sit domus, quæ coherere possit
sine fundamento, licet sine domo persi-
stat fundamentum; consequitur, quod in
quo non est Fides, aut quæ fide est perfe-
ctior, ac magis firma, cognitio DEI clara & intuitiva,
non possit esse virtutum divinarum fabrica: licet in qui-
busdam perditis Christianis maneat nonnunquam fun-
damentum fidei, parietibus & tecto reliquarum virtu-
tum collapsis. Ex quo colligatur, si vera est Architecturæ
Christianæ regula, nullam esse virtutum divinarum fa-
bricam in paganis, idololâtris, aut infidelibus: quoni-
am fundamentum hujus fabricæ est Fides divina, qua
omnes isti carent. Non existimo tamen quælibet infide-
lium opera esse peccata: possunt enim moralia quædam,
quæ non sunt crimina, aut delicta, exercere: qualia sunt,
loqui, comedere, bibere, ambulare, & similia sexcenta.
Deinde, consequitur, in Hæreticis non posse Domum
Sapientiæ, quæ est virtutis Christianæ palatium erigi;

Secunda pars.

V

quo-

(*) S. Thom. 2.2. q. 5. Valent. q. 5. puncto. 1. 2. 3. 4. Bañez. Maderus.

quoniam fundamentum fidei non habent. Quod vobis ut omninò persuadeatis magnoperè flagito. Nullus sive Lutheranus, sive Calvinista, sive Mennonista, sive alterius sectæ. si sit hæreticus, divinam in se fidem habet. At, credit, dicit: credit, ajo, sed non nisi fide humana, vel opinione incertâ, vel persuasione inani. Siquidem hæretici omnes naufragium fecerunt in fide, & ab ea exciderunt, ex Apostolo, 1. ad Timoth. 1. Denique, nec Dammati in inferno, nec Dæmones Ædificium Spirituale virtutum admittunt, quia fundamento fidei orbatifunt. Dicit quidem S. Jacobus Apostolus cap. 2. suæ Epist. *Dæmones credunt & contremiscunt.* At, vel loquitur de fide naturali, & suo modo coacta, cujus nullum est meritum; vel, ut ego existimo, de fide, quam habuere adhuc viatores, sed quoniam illam caritati non conjunxerunt, modò contremiscunt. Ut præsens, *credunt*, sumatur pro præterito, *crediderunt*, loquendi formula in divinis Literis haud inusitatâ.

ARTICULUS II.

Unum Fundamentum. Una Fides.

ÆDIFICII unius unicum esse debet Fundamentum. Quocirca ut Ecclesia est una, ita unam Fidem, ut fundamentum habet. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma,* inquit Paulus Apostolus Eph. iv. 5. Nam *idem*, ut commentatur S. Hieronymus, *fideles omnes credunt;* eademque est ubique gentium in ijs quæ ad fidem spectant, catholicorum sententia. Magnum præsidium, scribit magnus Papa Leo *Sermone IV. est fides integra. fides vera, in qua nec augeri ab ullo quicquam. nec minui potest. Quia nisi una est, fides non est, dicente Apostolo: unus Dominus, una si-*
des,